

I. N. J.  
COENOBII ad S. CLARAM,

*quod Curia est.*

Historiam proponit

*insimulque*

*pro*

memoria

B. L U T H E R I

*rite recolenda*

*ad*

Actum Encomia-

sticum

*d. 10. Novembrii.*

*Currentis 1693. anni*

*in*

Illustri Curiano

*habendum*

Primores Urbis & Fautores litera-

rum quoscunque submissè ac decentes

*invitat*

M. Jo. Christophorus Weiß / Gymn. Rector.

---

CURIAE, Lipsiae Minzelianis,

LECTORI BENEVOLO *יודא'י'ע'י'!*

**A**D *Cœnobii Superioris*, quod *monialium* seu virginum Deo dicatarum sedes fuit, *Historiam*, ordine sic iubente, sub *JESU* auspicio accessum molior; Quod jam aliquot abhinc fecissem mensibus, nisi maxima, quæ laborat *Clare* monasterium, obscuritas rerum terruisset orsurum. Adeo scilicet initia ejus, cum partem monumentorum *Vulcanus*, partem verò rapax hostium manus absumserit, circumfusa nocte sunt, & tenebris involuta hærent, ut quid superius p. 90. seqq. adductis addam ulterius, vix liceat dispicere. Dabimus tamen operam, ut quantum ad manus nobis afferamus & ab interitu vindicemus. Et nomen quidem quod primum concernit, vocant illud quidem aliqui *S. Anne*, sed perperam: templum enim, non monasterium hocce dicatum *Virgini* illi fuit. *Sanctæ Clare* autem *Virginis Assisii* natæ ordinem hic floruisse, non indiget amplius testimonio. Hæc post peregrinationes longinquas ad sepulchrum *Dominicum* & *Romam* & c. ordinem instituit suum Anno *Christi* 1225. Qui hodie dividitur in *Observantes*, *Reformatas*, & *Urbanissas*. Durissimam egit vitam: solis jejuniis & precibus incubuit: veste de corio porci, versis illius pilis ad corpus, usa est, cæterum discalceata ambulavit & durum vitæ genus secuta, quod eum ordinem multum erexit, unde versus:

*Clausamans Clara toto clarescere mundo*

*Incipit, & laudum titulis præclara resulget.*

Latè ergo sparsâ hujus *Virginis* pietatis famâ, & ordo asseclas invenit hinc inde plures, in quo propagando *Franciscani* maximam adhibuerunt operam. Quare cum *Curie* sedem figentes illi sororculis carere amplius non possent, sin *Autores*, svasores utiqve extiterunt seduli ac indef. si de struendo erigendoque monialium monasterio: quod eo tempore tanto obtinuerunt, facilius, quanto majori superstitione simplex hominum ævum sub

sub vinculis quasi tenebant. Tempus quidem, quo Cœnobium  
 hocce primum cœpit, adeo certò non constat; *Widemannus*  
 tamen in *Annun Christi* conjicit 1348, quo tempore Dominus de  
 Weida ait confirmasse, quæ *Gertruda* ab *Huttenhofen* ad stru-  
 ram monasterii jam legaverat. Locus, qui tantæ rei fuit ele-  
 ctus, area est, arcem Franciscanorumque sedem interjacens,  
 quam aut Franciscani nobilissimæ *Mörrungiorum* familiæ jam  
 referebant acceptam; aut gloriosa conditrix ære cœmit suo.  
 Habuerant enim hic *Mörringii* sedem suam, qui & magnam par-  
 tem urbis tum temporis in ditione habebant, quiqve in-  
 monachos mira eluunt beneficentia; inprimis *Erhardus Mör-*  
*ring* nobilis profapæ civis, cum majoribus suis, aliquas urbis ædi-  
 culas ordini dicavit minorum fratrum, de quo *Widemannus* ad  
 Annos 1438. & 1455. Verisimile igitur est Sanctulis novis vel  
 ultro locum cessisse, vel exiguo sane pretio vendidisse hoc tan-  
 ingens Cœnobii spatium. Quicquid tamen sit. Dives opum  
 fuerit & inclyti nominis scœmina necesse est conditrix cœnobii  
 modo memorata, cujus soror *Margaretha* *Heinricum* quendam  
*advocatum* de *Plauen* agnovit conjugem, qui ampliatus *S. Franci-*  
*sci* extitit munificentissimus, filiumque cœnobio dedit *Quardia-*  
*num primum*: præcipuè cum septimo statim post hæc anno, ma-  
 gna pecuniæ summâ *molterina* illa, quæ à capella adjacente, *Die*  
*Cappell-Mühl* vocatur, à monialibus cœmita perhibeatur. Stru-  
 cturam ipsam quod concernit, *Abbatissarum* habitaculum dis-  
 paruit quidem; ex ruderibus tamen & fornicibus mirè arcuatis  
 haut vanè licet conjectare ad nitorem nihil defuisse. Reliquum,  
 quod superest ex antiquioribus, ædificium *Tetragoni* longi for-  
 mam referens pedes in longitudinem porrigitur 115., in lati-  
 tudine habet 83. fornicibus contiguus in quadraturam pervium,  
 cujus in medio spatium est graminis ubertate lætum, olim fortè  
 floribus amœnissimum. Opus, si fundamenta spectes sumtuo-  
 sum sane, cum multi porticus subterranei magni citra dubium

Confraternitatis. Anterior domus; quæ nunc Præfecti Coenobii  
 aliis habitationi inservit, forsitan ultimis duabus Abbatisis habi-  
 taculum, prioris ruinosi loco, præbuit, exstructaque est Anno  
 1548. sicut id verba lapidi una cum insignibus Veronicæ à Döh-  
 la incisa clarè loquuntur, quæ ita habent:

Anno Domini 1548 ward dieser Bau durch die Ehrwürdis-  
 ge Frau Veronica von Döhla zu der Zeit Aepfissin des Jung-  
 frau-Closters S. Clara, nun G D T T hab Lob! vollendet.

Num antè quoque hic ædicula quædam extiterit jamjam è  
 vix ambigerem; quandoquidem magnam aluerunt familiam,  
 quæ ex œconomo, auriga cum servo alio, muliercula, quæ in  
 caseis parandis occupabatur, cum 3 ancillabus, pastore pecudum,  
 cubulco, servo item alio atque duabus famulis, quæ emendis pa-  
 randisque cibis & aliis domesticis curis vacabant, constabat, qui-  
 bus forte habitatio illa initio fuit assignata, antequam lætiori vul-  
 tu caput erigeret. De ruina ex igne nihil est, quod hic addamus,  
 cum supra pag. 42. & alibi id abundè factum, cujus reparatio, quidè  
 mox secuta, adversus tamen incuritationes vulgi non satis mu-  
 nitū mansit claustrū ad annum usque 1502. Eo vero tempore, cū  
 Sereniss. MARGGRAFIUS FRIEDERICUS. g. m. intelligeret  
 omnibus injuriis patere monasterii incolas, nec satis observari  
 regulas ordinis, per Johannem Hanstee, Theol. Doctorem & Saxo-  
 niæ ministrum primum, ordinis Minorum, visitari non solum  
 Coenobium curavit; sed & 300. flor. ad restorationem & alios usus  
 largitus est, ea conditione ac lege, ut, si ordinationi, quæ jube-  
 bantur castas fundere preces, & horas cum reliquis regulis observare, cum  
 virilis sexus homine nullos cedere sermones &c. ritè insisterent, dono  
 summam illam acciperent; sin minus omnia refunderent.  
 Quamvis verò murus restauraretur & castitati probè munitæ  
 omnia offendicula removerentur; non obstructos tamen me-  
 tus crypticos legimus, unde se à monachis solatium peti posse,  
 in sinu gaudebant illæ. Plura quæ fundationem spectant, non

est cur addam, cum præter ea, quæ supra pag. 93. adducta sunt, parum noverim; cramben verò recoctam apponere ingratum licet. Ad *Abbatissarum* igitur catalogum citra ambages pergo.

1. Prima itaque fuit GERTRUDA cum sororibus, quarum ultima TECLA reliquas supervixit, indeque à posteris prima *Abbatissa* monasterii dicta est, obiit die *Matthie* Anno 1378. Ita enim Scriptura mensæ, seu lapidis sepulchralis olim inter cætera habuit: *quæ prefata Domina cum filiis suis istud Monasterium fundavit.* Quo marmorè à nequicia perditio, aliud epitaphium in primæ ultimæque honorem tandem tamen super impositum fuit.

2. AGNES COMES ORLAMÜNDENSIS, cujus Majores & Xenodochio & Coenobio magna exhibuere beneficia.

3. ANNA COMES DE ORLAMÜNDE.

4. HELENA ejusdem originis Comes Parentum munificentiâ in monasterium itidem insignis.

5. CATHARINA BURGGRAFIA NORINBERGENSIS, quam *Widemannus* filiam dicit FRIEDERICI IV. *Reusnerus* verò III. Sed si rectè calculum ponamus FRIEDERICI V. filia fuit. De hoc heroë cum multa prædicari possunt; cum illud præcipuè notatu dignissimum videtur, quod meritis clarissimis Imperatorem CAROLUM IV. tantopere devinxerit sibi, ut matrimonio arctissimè jungi utramq; familiam ipse Cæsar vellet. Filia sanè ELISABETHA RUPERTI Imperatoris Romani uxor facta, per novennium Imperatricis titulum obtinuit. De reliqua Illustri sobole ne dicam, CATHARINA modò dicta *Abbatissa*, desponsata adhuc tenera ætate fuit SIGISMUNDO, Imperatoris CAROLI IV. filio, sed quoniam sponsus coronam regiam ex matrimonio aliunde lucrari poterat, uterque Parens à Papa Romano non solum dissolutionem matrimonii, sed & absolutionem à juramento, quò sibi invicem hanc in rem jam olim obligaverant animos, petierunt, quæ Anno 1375. obtenta est. Dedit igitur SIGISMUNDUS BARBARAM, LUDOVICI PANNONIÆ

Regis filiam, cujus inexplebilis libidinis pertæsus cum esset, (vid. continuatorem *Sleidani Germanici* p. m. 286.) sæpius forsitan posteriora vota damnavit. CATHARINA verò cum duabus sororibus ANNA & AGNETE anno sequenti in coenobium Curiense migravit, hicqve mortua est Anno 1409. die X. Novembris. Lapis sepulchralis ejus tanti fuit habitus, ut ab interitu servaretur, cujus in Franciscanum templum translati scripturam adduximus suprap. 263. Corporis autem, ut habita ratio sit & nos ignoramus.

ANNA soror Curiâ in Coenobium Seusalizense ducatus Misniæ, ad matris sororem se contulit, inde regressa & Abbatissa ad Coronam cœli facta est. Ubi A. 1383. d. 27. Julii diem suum obiit, teste Widemanno in Chronico.

6. AGNES Burggrafia Norinbergensis, soror tertia sororem in Abbatissæ officio secuta est Anno 1409. Ex qua sede Anno 1430. per Hussitas in fugam pulsa, in itinere forsitan periit. Harum Abbatissarum tempore non solum à patre Serenissimo, Anno 1376. sed & à fratre, primo Electore Brandenburgico Anno 1422. Privilegia cœnobii & confirmata & redditus egregiè aucti sunt.

7. CATHARINA de Rohau. Sub hujus administratione atqve præsidio Albertus Elector, ob incomparabilem virtutem, quâ omnes, quibus cum congressus est, vicit, omnes gentes, quas adiit, calcavit, Achilles Germanicus cognominatus, Princeps omni encomio major, filiam suam MARGARETHAM huc in coenobium misit, cum antè Anno 1458. privilegia Virginum confirmasset & dotibus auxisset. Nata hæc est Onoldi die 15. April. Anno 1453. Matre MARGARETHA filia Marggrafi Badensis, quæ partum hunc suum ab infantia jamjam cœnobio cuidam dicaverat; quoniam autem illa præmatura morte A. 1457. abrepta, ALBERTUS hanc filiam suam CASPARO Palatino Bipontino desponsavit, à quo tempore cum gravibus statim morbis, cum conflictari inciperet, tandem ob morbum chronicum in coenobium Curiense missa, ad Abbatissæ hono-

norem Anno demum 1467. erecta est. Etsi verò monasterio muliebri prudentia bene præfuit ad Annum usque 1476; deponit tamen fasces atque ex singulari devotione inter *Moniales vulgares* fixit, usque tum tandem *A.* 1509. ex vita decederet.

8. Itaque fuit modo dicta *MARGARETHA*, Marggravia de Brandenburg, cujus Fratres *FRIEDERICUS & SIGISMUNDUS* reditus & privilegia Monasterii beneficentia sua rursus illustrarunt Anno 1486.

9. *AGNES* de Hirschberg. Anno 1502. successit, quæ, quamdiu præfuerit monasterio? latet, sicut & sequentis

10. *URSULÆ* à Dobenek nec accessus, nec decessus cognitus nobis est.

11. *VERONICA* à *Dœla* circa annum 1541. ad Abbatissæ dignitatem emerfit, cujus insignia tres pisces exhibent, quæ videas in Præfecti Monasterialis Domo, ea parte, quæ versus Cœnobii ædificia reliqua spectat, cū epigraphæ supra expressa. Obiit *A. Dni.* 1549.

12. *EMILIA* de Hirschberg / abbatisima ultima, obiit Anno 1564. die Pentecostalium Feriarum secundo, sepulta in primæ Abbatissæ tumulum, ante altare, quod olim in Claræ templo extabat; nunc vero deletum per ruinam est. Hæc decedente monasterium *S. Clarae* cum omnibus reditibus ad Dominum suum *Georg.* nempe *Friedericum.* g. m. rediit, qui cum moniales ad conjugia respicerent, ad paterna bona jurè respexit.

Enimverò contra ordinis regulam foret, magnas possideri à Claræ monialibus divitias, quarum Patrona à Papa Honorio III. inaudito proffus exemplo paupertatis privilegium petiit, & cum Gregorius IX. svaderet, ut saltim aliquas possessiones propter futuros eventus retineret, noluit proflus & hoc ipsum recusavit. Vid supra. cit. Wolffius.

Hæc de Abbatissis. Monialium nomina quarum 40, omnes  
aut



aut plurimæ ex nobili prosapia natæ alebantur, cum sua ipsarum memoria sepulta sunt. Quamprimû enim per B. Lutheri ministerium purior verbi doctrina propagari cœpit, superstitio Papalis ad tam claram Evangelii lucem agnita magis subinde fuit, rejecta atque explosa verò propria merita & omnis *μεγαλειαι* vanitas. Hujus ut memoria facti nunquam interiret, eras volente Deo Natalem B. Antistitis nostri festa solennitate in Gymnasio celebrabimus; Hinc sistet se, ut Encomiastes ejus ad cathedram


**JOHANNES VVOLFANGUS LEOPOLDUS** Curienfis, Juvenis, ut *excitati ingenii*, ita *multæ sane expectacionis ac spei*, qui *vicâ Megalandri* carptim percentebit. Ei junget se

**JOHANNES FRIEDERICUS DE VVALDECK**, Nobilis Variscus, siempè Maximè Reverendi ac Generosi Domini **JOSEPHI FRIEDERICI DE VVALDECK**, Hereditarii in Culmiz & Dœbra-Stœcken, Superintendententis Curienfis ac Illustris Gymnasii Inspectoris ac Theologi gravissimi filius *matris* secundus, qui Magni Parentis vestigia non minori *indolis bonitate*, quam *solertia* jugiter legens ad par fastigium videtur aspirare. Primum specimen industriae suæ editurus *Arndium* eadem methodo laudabit. Tertius idem, cum reliquo, Orator novellus

**CHRISTOPHORUS BRNESTIUS GEBHARD**, Selbenfis, Plurimum Rev. olim Bergensium Pastoris, Domini *M. Petri Gebhardi* filius natus medicus, non ultima cavez, aut commatis Juvenis, *B. Job. Gerhardi* fata deprecabit. Ultimè denique *non ingenio, sed ordine* sic jubente.

**JOHANNES GEORGIUS ROYH**, Viri Plurimum Rev. atque Amplissimi Domini *Johannis Rothii*, Pastoris Schvvarzbacensis ad Salam vigilantissimi, Fautoris nostri multum honoratissimi, filius ætate maximus, *B. Scherzeri*, Theologi edecumati laudes percentebit atque sic egregium, *quo in studia est*, fervorem erudito Auditorio comprobare anaitetur.

Mos singulos atque universos ceteri nondum ita poliverit disciplina, ut Cicerones putare possis; non omni tamen indignos favore arbitror, indeque ad audiendû illos Sereniss. ac Nutritiû Nostri Clementiss. Ministrissimum, Illustriss. Comitem ac Dominum DN. **JO. ALBERTUM**, Comitem de **RONOV & BIBERSTEIN**, Dn. in Oppurg, Knauen, Krobiz & Grünau &c. Consiliorû Præsidentem Supremum, Consiliarium Intimum & Exarchum Provinciale m Eminentiss. Dominum nostrum Gratiouiss. Maximè Rev. itidem & Generosum Dn. **JOSEPHUM FRIDERICUM DE VVALDECK**, Hereditarium in Culmiz & Dœbra-Stœcken &c. Superintendententem & Inspectorem Gymnasii Graviss. cum Pl. Rev. Ministerio; Excellentiiss. Dominos Physicos; Consultiss. Dominos Officiales; Ampliss. & Prudentiss. Senatû, Gymnasii Patronum & Scholarchas; Clariss. & Præ Eximios Dn. Collegas Studiosos, eâ quâ par est, submissione animi, reverentia & affectu obtestamur, velint gratiosè ac benevole diutius adesse, ceterisque stimulum addere ad præclara quævis audenda, quod nos omni demeremur obsequio & affectu,



COLN  
B.L  
Act  
Primore  
M. Jo. Ch  
RAM,  
ERI  
mia.  
es litera.  
Re&ol.

